



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Malachias Ep. 5. Nouembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Beatus, qui sacra Virginitatis hortum conclu-
sum, fontemque signatum Christo Domino invio-
labiliter consecravit. Ipse procul dubio in eterno
sponsi convivio, unà cum B. Mariâ Virgine Virgî-
nis Matre, Reginâque Virginum Agnum sequetur
quocumque ierit. S. Laurent. Iustin. de Regim. Præ-
lat. c. 8.

S. MALACHIAS EP. 5. Novembris.

Ades turba literaria, & si placet, cunctem ad
A ludum puerulum MALACHIAM comitare.
Vides ex viâ subsistentem, & passis brachiis iden-
tidem non Apollini sed Numini supplicem? O
plures sic ad scholas itarent, ut plures inde Mala-
chiæ redirent! Nunc unicum laudamus, qui Sa-
cerdotio à Musis donatus sororem è piacularibus
flammis facto sacrificio exemit, mox patriæ (Hi-
bernæ) Episcopatum tulit. Verùm uti honor artes
alit, ita invidiam provocat. Capiti MALACHIAE
plures insidias posuerunt, ut ipsius insulâ suam te-
getent caput. Sed cælum pro virtute pugnavit.
Nam dum MALACHIAS ad asylon templum con-
fugit, tempestas omnes ejus hostes fulminavit,
lacerosque eorum artus hinc inde stipitibus arbo-
rum ad cogitati parricidii infamiam suspendit.
Sed & mulier, quæ linguam in Divum armaverat,
putrescere hanc sensit, ut oris virulentam infamiam
graveolentia proderet. Alios oculorum or-
bitas, ferrum alios ignesque & demon-malus sunt
ulti. Ita omnibus periculis subductum caput in
tutas latebras Claram Vallem tulit, & ut securam
jam esset, cuculo abdidit. Morienti oculos clausit
D. Bernardus, quem quia præconem laudum etiam
suarum habere meruit, non jam Achilli Homerum
puto invidet. Ex S. Bern.

Beatus.

Beatus, qui se ab omni maculâ purum atque integrum servat, ut cum fiducia in domum suam recipiat Regem gloria; qui cum reverentiâ ac timore ad sacrosancta mysteria Servatoris accedit, seq̃ vitam aeternam suscipere non ignorat. S. Ephrem. in Beatitud.

S. ANDREAS FUNDANVS EP.

6. Novembris.

RÊtè dixit, qui dixit primum ad lapsum gradum esse, occasionem non fugere. Id si homines inficias ire velint, ecce mali dæmones ultro fatebuntur, ANDREAS omnibus virtutibus, sed castitatis laude imprimis clarus feminam domi suæ, privatus primum, post Fundanus etiam Episcopus, habebat ipsam quoque Deo devotam. O, ut fumo semper ignis est proximus! Ibat Romam ex Campaniâ Hebræus nescio quis: deprehensus à tenebris ad Apollinis fanum divertit, & interpesta nocte in senatum cum regulo suo frequentes coire orci principes videt. Hic dum rem bene gestam singuli gloriantur, & alii alia facinora sibi quisque palmaria clamant; insolentior cæteris unus aliquis, & multum nequitia sua superbus, jactat id tandem magno molimine se effecisse, ut ANDREAS Præsul mulierculæ tergum molliter distringeret. Enimverò acclamatum ab omnibus est; & factum id multis Pluto laudavit, veluti que jam de victo ANDREA triumphus decretus est tenebrioni; Sub ea in discedentium oculos Iudæus incurrit; sed quòd aliena arma, Crucem, more Christiano objecisset, tantum risere homines, testam probè signatam, cæterà inanem dictitantes. Nempe hic rectâ ad ANDREAM, qui Hebræo Christianis & fano D. ANDREA Apost. transcripsit, dcmo